

loc. cit. *principalis & instrumentalis*; *calor ac forma*, quæ est anima parentum specie non differens consideremus, ne quid dicamus de inaccurata hac divisione & explicatione, illæ omnino ad sexus diversitatem propagandam sufficiunt. Hic vel plurimas mendas typographicas latere, vel quid dicat aut reprehendat nescire Watsonium necesse est. Quid ergo faciam? Non patiar ipsum in ignorantia versari, eorum quæ meis auditoribus trita sunt. Distinguo scilicet inter causam absolute proximam, & in suo genere, plerumque in Physicis, causam absolute proximam nominatim hoc in loco dico, materiam, hoc est, semen masculinum in masculo, fœmininum in fœmina, in suo verò genere causam efficientem, sive dicas calorem, aut vim fœtificam, aut genitalia parentum talia vi prædita: hæc proximè in suo genere tangere dico effectum, illud absolute & ita ut cæteris paribus ipso posito ponatur, negato negetur, effectus. Sed pergit: *An nescit, inquiens, Dn. Trem adeò excellentes animæ operationes, quæ includunt multisq; modis superant productionem fœtus distincti?* Non nescio, mi Domine Watsoni. Tu verò scire debebas, non agi hinc de Excellentia, sed potius de natura causarum, eâ qua alia est propior, altera remotior. Excellentior quippe est intellectus facultate vegetativa, num propterea vi intellectus fœtus producitur? exclusa potentia vegetativa? Sed pergit, *Sola Phantasia, quam mira operetur quoad fœtum utero clausum, docent tot monstrorum ac sanorum quotidie generationes.* Hic confundit Watsonius causas per se, cum causis per accidens: *Imaginationes cum suis effectis, plerumque monstrosis, ut sunt ab ordinario naturæ cursu alienæ: ita non debent rei ordinariæ & constantis, cuiusmodi est diversitas sexus, causa per se, multò minus proxima & adæquata constitui.* Et quid si mulier in conceptione vel quovis tempore fœtui generando aut formando idoneo aliud quid quam speciem humanam, v. gr. equum aut leonem sibi imaginetur, num propterea equum aut leonem concipiet? partis sane alicujus ὕμοιωμα repræsentari, novum non est, sed totam substantiam quoad omnes partes, etiam eas, quæ sensui & imaginationi non patent, inde resultare, v. g. non externam tantum speciem fœminarum, quoad externam figuram uteri, rotunditatem mamillarum, &c. Sed etiam quoad internam ejus constitutionem, & omnes illius partes, imò mores, affectiones, & alia ferè infinita, quæ præ viro peculiaria habere, loco ante citato ipse dixit, solâ imaginatione substantialiter exhiberi posse, ut